

1508

rentur, aut fumo necarentur, se se hostibus dediderint. Legato post hæc & Liviano Postoinam cum pleno exercitu accéderentibus, tormentisque positis, ubi ea murum quatere cœperunt, Rainicher præfectus, ne diriperetur, se atque oppidum tradidit: cui statim comites dati, qui illum abeuntem in tuto sisterent.

*Venerorum
cum Cæsare
indutia.*

Dum hæc in Istris geruntur, Pauli Lichestenii suasu, prudentis in primis hominis, & recti ac temperati viri, qui magna erat apud Maximilianum regem gratia, atque ab eo impetraverat, ut se ad pacem cum republica converteret, Tridentinorum Episcopus Senatum per literas certiorem facit, cupere Maximilianum indutias cum republica facere: quod si nunc eadem est ei mens, quæ paulo antea fuit, mittat aliquem, qui cum ipse regis nomine agere, quæ tractanda erunt, possit. Senatus ea intellecta re Zachariam Contarenum legavit, qui eo dandis indutiis proficeretur. Contarenus cum in Rhetos venisset, cum Episcopo, tribusque viris principibus, quibus omnino quatuor eam rem mandaverat Maximiliani jussu Lichestenius, in regis & reipublicæ finium loco medio colloquutus, causam satis quidem perplexam atque difficilem Gritti legati consiliis explicuit, ut vellent illi trium annorum indutias cum republica facere, cumque ejus fœderatis Galliæ Hispaniæque regibus, atque iis, qui in Italia socii aut ipsius, aut illorum regum essent: nam cum transalpinis uti facerent, adduci nullo modo potuerunt. Id cum Senatus cognovisset, adhibitis regum legatis quæsivit, num id illis caput placeret. quibus annuentibus, facultate sic conficiendi per literas celeriter ei missa, Contarenus octavo idus junias indutiis triennalibus cum rege factis scribendo assuit reipublicæ nomine. quod quidem gratissimum Senatui fuit, qui pacem, quam bellum, & onerum vaccinationem dari civibus, quam ab iis tributa exigi quotidie, malebat. tum illud etiam verebatur, ne, si Maximiliani oppida capi ac diripi sentiens frænum Germania momordisset, tam fortis nationi, tantæque multitudini resisti ab se se, & illarum gentium ferocissimarum bellum respu-